



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicorvm, 1607**

S. Xene Sev Evsebia, Sive Hospita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

fisset, vel volens discederet, secum trahunt, ita penitus seipsum, quasi viuum exhibebat cadauer, vocem quã illam Apostolicam re-  
 & tissimè vsurpabat: *cum Christo crucifixus sum: viuo autem non iam ego, viuit verò in me Christus: quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filii Dei, qui me dilexit & tradidit seipsum pro me: ita ergo beatus Salamanes sensus suos vti nemo alius, ma-  
 ctavit, in hoc studio ad mortem vsque constans perstitit, profectusque ad Dominum æternum agit triumphum.*

24. Ianua.

S. XENE SEV EVSEBIA, SIVE HOSPITA.

*Huius Acta  
 ex Meta-  
 phrasse le-  
 ges apud  
 Surium  
 25. Ianua.*

**P**ERbeata hæc Xene, illustrissima fuit vrbe Romã oriunda, loco in primis claro & inuidendo nata. Parentibus illam matrimonio collocare iam parantibus, ipsisque iam instructis nuptiis, ex ipso thalamo cum duabus ancillis profuga per mare ad Milassorum oppidum peruenit. Immo ductu venerabilis Pauli monachi, qui Alexandriæ illi spectabilis apparuit, ad eam urbem appulit, vbi modico ad memoriam S. Stephani protomartyris extructo sacello, cum duabus ancillis & aliis quibusdam paucis virgi-



virginibus, quæ conuenerant, disciplinam religiosam arctissimè coluit, atque per omnium voluptatum fugam, continentiamq; & summam vitæ patientiam, seipsam ad cœlitum vitam propius admouit, quam cū feliciter ad finem vsque profecuta esset, diuinum sanctitatis testimonium post obitū est indepta. Ipso quippe meridie, cum sol terram clarissimè illustraret, crux stellata visa est, quam alius astrorum chorus coronabat, vt videretur esse ipsius sanctæ corona, ob diuturna ieiunia, peruigilia, & virginittatis incorruptam laudem, à Deo missa. Idque inde clarum euasit, quod sacro eius corpusculo humi condito, spectatus ille siderum chorus & corona enauerit. Statum porro & conditionem sanctæ Xenæ, ancillula eius, cum moreretur ab ea narrante accepit, quæ inquam, eius esset patria, quod illustre genus, generisque cognomen. Eusebiam enim dixerant, quo, vt latere posset, tacito se Xenam seu Peregrinam seu hospitam nominarat.

S. MACEDONIUS  
ANCHORETA.

Hic beatus noster Macedonius stadium & palæstram virtutum habebat in altis  
monti-